

---

CLASSIS SECUNDA  
V E N E N O R U M  
S T U P E F A C I E N T I U M .

---

BELLADONNA *Offic. ATROPA Botani-*  
*corum. Classis Pauci - stain. Germ. Dollkraut.*  
*Italis Bella donna. Gallis Morelle Marine.*  
*Anglis Dwale.*

A TROPA *caule herbaceo, foliis ovatis, integris,*  
solanum furiosum maniacum etiam dictum est.  
Radicis minor dosis species vanas, duplicita mentis  
alienationes, quadruplicata mortem adfert, DIOSCO-  
RIDES. A folii recentis particula oculo apposita, pu-  
pillæ relaxatio, RAIUS, cæcitas, WEPFER. Baccæ  
vero primum maniacæ, dein lethales, & quidem præ-  
ter experimenta MATHIOLI, LOBELII, adolescen-  
tulum unum mortuum ex esu duarum, triumve bacca-  
rum BODÆUS a STAPEL habet; chirurgus medi-  
co, ne comederet momenti, illudens, a tribus, qua-  
tuorve baccis comesfis interiit. L. B. VAN SWIETEN.  
Lethalis baccarum alter effectus SCHUSTERO *Actis*  
*Phys. Med. Acad. N. C. Vol. VI. descriptus est.* Sa-  
lus in vomitu, & aceto. Et hæc quidem huius plantæ  
infamia est.

Verum etiam in laudem illius nonnulla dici pos-  
sunt: opposita est dirissimo cancero, & in eo malo spé-  
cifi-

cifica dicta, ALBERTI, quanquam non semper aut innoxio aut felici eventu, HEISTERUS, HALLE-RUS; Et licet in lectione inaugurali ephemeridem persanati carcinomatis ope Belladonnæ sisstat LAMBERGEN, id non obvenit fine terrificis symptomatibus, ut dein non amplius remedio insisteret. Ultimo probavit novis experimentis eius vim GATAKER, & peculiari adversus cancerum virtute valere negavit, *Observations on the internal use of the solanum or Nicht-Shade 1757.*

Est tamen ubi etiam nuperrimis in experimentis bene cessit, VANDENBLOCK *Journal de Medecine, Chirurgie &c.* T. XIV. 1761. & eo in casu utilis deprehendetur, ubi cicutæ vis nulla esset, ut demum iudiciose concludat Cl. Vir, nullum specificum universaliter tale esse: cicutam ubi in cancro putredo, gangrena adesset, belladonnæ præferendam: belladonnam contra, ubi acrimonia corrodens adesset, etiam fungosa caro excresceret, cicutæ anteponendam: Belladonnam subiectis sensilibus, delicatulis, hystericis, hypochondriacis sanguineis, biliosis, terrificâ inducere symptomata, vertiginem, caliginem, aliarum evacuationum suppressionem, his vero pituitos, melancholicos immunes esse, omnes oris fauciūm siccitate torqueri. Dosis grani unius, duorum: infunditur hæc in vaseculo theato aqua pleno; primis diebus ieiuno stomacho vasculum tantum unum sumitur, dein si e re videatur duo, tria. Maiori etiam pondere datum medicamentum hocce fuit. Moniali cancerose a D. COLZIGNON ad drachnam de die in infuso *Journal. c.* T. XIV. observat, I. Cl. MARTEAU vero ita præparatum exhibuit:

R. Bel-

R. Belladonnæ uncias quatuor, menthæ crispæ unciæ duas, croci orientalis drachmas duas, minutissime concisa inde in matratium capacissimum, superaffunde spiritus vini libras duas, & spiritus volatilis cornu cervi sine calce elicti unciam semifissim, rite obturato pellicula ovina aut vitulina matratio, eandem pelliculam acu perfora, digere per quatuor dies balneo mariae viginti quatuor gradibus ad thermometrum REAUMURI calido, cola, fortiter exprime, exprefsum liquorem pondera, quantumque e duabus libris desiderabitur, tantumdem spiritus vini exprefsis herbis superaffunde, cola denuo, fortiter exprime, utramque colaturam misce, gossypio filtra, vase rite cooptero. Tinctura datur in infuso theiformi botris mexicanæ, vel alterius plantæ cordialis ad guttas octo, quæ grano uni æquivalent, sic sensim dosis augetur: ad grana undecim de die subministrata est ab authore, igitur data ad guttas octuaginta octo absque incommodo.

Cæterum iam olim baccarum succum in syrupum coctum GESNERUS dysentericis exhibuit, & infusum vinorum Ephem. N. C. Nonnulli infusis in spiritu frumenti baccis asthmata curant. Innocuas in cuniculi ventriculum intrusas baccas, & in venas injectam succum, aqua dilutum, non infamem Clariſſ. MANETTI Horto Florentino testatur, vidit etiam in imum ventrem infusum sucum insontem esse nec ullo inflammationis aut doloris signo perturbari, aut canes aut gallos aut pullos aut aviculas, dum horum oculi pluma succo madida tangerentur ROSSI l. c.

**CASSAVA** Amara, vel **MANDIHOCA** *Offic.*  
*Botanicorum IATROPHIA.*

Radicis esculentæ succus venenatus experimentis  
**HERBERT**, qui dissertationem inauguralem de ea  
 scripsit; planta nostris terris ignota, ut & venenum.

**CICUTA** *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis*  
*Umbelliferarum. German. Schirling. Galli*  
*Cigue. Anglis Hemlock, or Common Hem-*  
*lock.*

**CICUTA maculata**, caule maculato, seminibus  
 subovatis striatis. Huius plantæ confusæ admodum  
 apud observatores descriptiones, scrupulum non exi-  
 guum ratione effectum observatorum iniiciunt: iam  
 enim hi medicamentum criminari, illi non adeo suspi-  
 cere, alii omni scelere absolvare, ut ultimo plerasque  
 de cicuta historias incertæ plantæ esse post **TREW** iu-  
 mpronunciarit **HALLERUS**. Sed ea dicimus, quæ pro-  
 priora causæ sunt.

An omnibus in officinis adhibitæ cicutæ eædem? an  
 officinales omnes venenatæ? quod non examinatum,  
 licet causam dijudicare potuisset exploratum. Cicutæ  
 in omnibus officinis adhibite eædem non sunt. In  
 Anglia cicuta *maior* in usu est, **DALE**, eadem in Ger-  
 mania habetur. **Cl. VOGEL** *Mater. Med. aquaticam*  
*GESNERI* officialem facit, an non ex **LINNAEO**  
 scripsit? dum cicutam *maculatam* (quam ex **LINNAEO**  
 conium vocat) non cicutam *aquaticam* **GESNERI**, in-  
 ter plantas officinales Germaniæ recenset **BLAKWELL**.  
 T. 451, & nunc aquaticam **GESNERI** Gottingæ offi-  
 cialem non esse mihi relatum est; sed etiam cicuta  
*maior*

*maior seu maculata* adhibetur in Galliis, GEOFFROY,  
 & in Austria: *cicuta vero aquatica GESNERI* seu *vi-*  
*rosa LINNÆI*, *umbellis folio oppositis*, *petiolis mar-*  
*ginatis*, in Sueciæ officinas recepta est, LINNÆUS.  
 Adhæc *cicuta minor* petroselino similis C. B. ut & ci-  
 cutaria aquatica quorundam I. B. effectum cicutæ mul-  
 tam partem tulere; prior tamen Ethusa *cynapium* est  
 Botanicorum, & alterius generis planta, posterior  
 Phellandrium *aquaticum* ab his duabus distinctum, &  
 hodie etiam in nostris officinis ex Chærophyllo *temulo*  
 Botanicorum, quod caulem maculatam, ut cicuta ma-  
 ior, habeat, extractum parari & pro extracto cicutæ  
 veræ divendi, certus novi, ut vel inde uni eidemque  
 plantæ diversarum effectus adscriptos fuisse patescat.

Neque tamen id vel adeo mirabile videri potest, cum  
 etiam hodie Materiæ medicæ scriptores cicutam *macu-*  
*latam* cum *aquatica GESNERI* confundant. Quæ  
 res vel ideo maxime notari meretur, quod sic graviter  
 in salutem proximi, si unam alteri substituerent, pec-  
 care & medicus, & Pharmacopœus possent, quod vo-  
 GEL capere non vult, ne proprium errorem videat,  
 sed etiam id illi per me licet.

Quod secundum spectat, venenatas omnes non es-  
 se, non solum mites, sed etiam salutares de cicutis hi-  
 storiarum confirmant. Scrupulum unum, etiam drach-  
 man semis radicis cicutæ in pulvere, vel infusum  
 drachma una etiam duabus factum, olim ad scirrhos  
 viscerum RENEALMUS propinavit: Drachmæ unius  
 assumptæ dosi in iisdem morbis curationem absolvi vi-  
 dit ET MULLERUS. Repetito experimento certus un-  
 iam medium dedit PETIVERIUS, & HENLEY in-  
 tegras quatuor uncias devoravit absque noxa Transact.

Phi-

*Philosoph.* sunt adhuc alia huius rei exempla, ut a crimine cicutam maiorem vere absolveret *Cl. MILLER.* in *Botanico officinali anglico, London 1722.*

An radix solum venenata? confirmat casus H E E in *Act. Physico Med. Acad. N. C. Vol. X.* Etiam proprio experimento *Clariss. STOERCK.* Sed an etiam vernali tempore magis anceps pharmacum? dubitari posset. An inde excitati, cicutæ vim adversus elephantiasim RATHLAVW, adversus scirrhos & cancros STOERCK nostræ, novissime probarunt? Equidem posterioris fide dignissimæ observationes, & factæ curæ aliis hodie abunde regionibus confirmatæ, aureis libellis de virtutè cicutæ exstant, quibus neminem carere posse putem. Summatim vero utilem esse cicutam vulgarem induratis malis, scirrhosis, scrophulosis, quæ vel resolvit, vel ad benignam suppurationem redigit, cancro limites ponere, etiam acre cancerosum emendare, & ichorem in bonum pus convertere, etiam fana-re fistulas, & sinus, ut & alia ulcera claudere, consolida-re; cataraçtas incipientes solvere, earum progres-sus impedire, matratia sicca planta farcta aquæ, vel laeti incocta, pessimæ gangrenæ progressum inhibere, corruptum etiam a fano separare, similia fomenta do-lores podagricos non solum, sed & podagricos tophos disspellere, rheumatismum, arthritidem curare, ob-servavit.

Præscriptionis pilularum hic modus. Rx. Herbæ recentis cicutæ quantum vis, exprimatur succus, isque recens lentissimo igne in vase terreo saepius agitando, ne amburatur, coquatur ad spissi extracti consistentiam, hoc extractum f. q. pulveris foliorum cicutæ in mas-sam pilularem subigatur, ut fiant pilulæ granorum duo-

duorum. A minimâ dosi incipiendum ex prudentia sua-  
det *Clariss.* Vir; mane, & vesperi pilulam unam, sensim  
ascendendo, observato effectu, etiam ad drachman  
unam, vel unam semis de die dedit. Hodie ad un-  
ciam semis multi vorant: superbibitur infusum thee,  
vel aliud medicatum: potest etiam pulvis radicis cicu-  
tae, s. q. mucilaginis gummi tragaganthae in pilulas re-  
digi, sed efficacius priori medicamentum, cautius dan-  
dum pronunciavit. Adhæc grana duodecim, viginti,  
extraicti, aquæ stillatitiae unc. sex, duodecim, diluta,  
forma mixturæ propinari possunt, ipsa etiam cicutæ  
infusio meraca in sinus, fistulas, injici.

Reliquum est, ut in laudem tanti inventi, quale  
Vienna nullum novit, candidissimo Amico id dicamus,  
quod olim BOYLE. „I. Esteem the discovering and  
„divulgling useful things in physic, and the recom-  
„mending good remedies, among the most extensive  
„acts of charity, whereby a man becomes really mo-  
„re serviceable to the World, than by building an  
„hospital. „ Quodsi & Tua hæc, erga proximum  
charitas livido petatur dente, an non noscis id HE-  
SIODI:

Kαὶ περιπέντε περιπέντε ποτέσ, καὶ δίοδος οὐδεῖδω,  
καὶ πτωχὸς πτωχῷ.

CICUTA Aquatica GESNERI. CICUTA  
L. SIUM HAL. Classis Naturalis Umbel-  
liferarum.

CICUTA hæc viroſa umbellis folio oppositis, pe-  
tiolis marginatis, obtusis LINNÆO, pinnis laciniatis,  
pinnulis trifidis, nervo non folioso, HALLERO distin-  
guen-

guenda, unanimibus fere omnium experimentis infamis, integro WEPFERO descripta libro est. Non est oenanthe cicuta facie, succo viroso, crocante, ut ex MEADIO forte QUINGY, cui vires nostræ adseribit. Neque etiam observationes Acad. Reg. Paris. a D. IAUGON de funesta ex esu cicutariae trium militum morte, de nostra hac planta esse videntur; esetne de oenanthe fistulosa? quæ foliis caulinis fistulosis, teretibus cognoscitur. A cicuta aquatica GESNERI pecudum luem Tornox LINNAEUS vidit: Et ex succo e foliis, & floribus expresso, in cuniculo ad semiunciam, & cane ad unciam dato, nullum effectum SPROEGEL. Exper. VIII. IX. E radicis vero succo vomitus, & tremores, non mortem, Exper. X. & e pulvere radicis salivæ viscidæ effluvium sequenti die in eodem cane. IDEM Exper. XI.

CICUTARIA Palustris Tenuifolia B. PHELLANDRIUM Botanicorum. Classis Naturalis Umbelliferarum. Anglis Cow-weed or Wild Cicely.

PHELLANDRIUM foliis ad angulos ramosis definitum, multum habitu, non infamia cicutis affine, medicatum plurimis habetur, scirrhis, canceris, etiam gangrenæ utile, BOERHAAVE, morbis malignis etiam KRAMMERO Patri opponitur. Seminum interne exhibendorum in abscessibus, ulceribus, dosim drachmam unam facit HEISTERI Filius Acad. N. C. Vol. V, quæ in initio nimia est. Quod phellandrium equis lethale & paraplegiam causet, LINNÆI est in itin. West. 46. testimonium; id bobus exquisitum pabulum Ibidem cehetur. Tamen etiam huius extractum pro extracto cicutæ nostrarum officinarum datum, homini- bus

bus nec obfuit, nec profuit, *the London cronicle for Iuin 1761.*

CICUTARIA Pannonica CLUSII vide T.I.  
P. 34.

DATURA *Offic.* STRAMONIUM *Botanicorum.* Classis Pauci - flam. *Germ.* Stech-  
apfel. *Gallis* Datura, pomme epineuse. *An-*  
*glis* Thornapple.

STRAMONIUM *fructu eretto, calyce pentago-*  
*no cognitum, sua officinis semina, ob vim caput ten-*  
*tantein infamia, largitur. Minima horum dosis ine-*  
*briat, aliquantulum mediocris membroriam tollit, & in-*  
*faniam inducit, maior convulsionem, sudorem frigi-*  
*dum, mortem infert. Funesto errore saepe pro ni-*  
*gella divenditur, BRESLAVIENSES, & ita datum ad*  
*drachmam unam pharmacon feminam occidisse, ex*  
*HALLERO SPROEGEL excitat. Poena in lacte cocta*  
*etiam vertiginem, aphoniam, cum sensuum abolitione,*  
*delirio feroci, & alis pessimis symptomatibus induxe-*  
*re, Essays and observations before a society of Edim-*  
*burgh Vol. II. Unciam semis semen fere absque*  
*noxa devoravit canis, SPROEGEL exp. XIII; ne ideo*  
*minus suspecta semina sunt. Veneno medicina acetum,*

DORONICUM *Offic.* *Botanicorum.* Classis  
Naturalis Compositarum Radiatarum. *Germ.*  
Gesenwurtz. *Gallis* Doronic. *Anglis* Leo-  
pard's bane.

DORONICUM *foliis cordatis, obtusis, radica-*  
*libus petiolatis, caulinis amplexicaulibus, hodie vix in*  
*usu*

usu est, licet adhuc in Anglia frequenter ad ciendos  
menses in cerevisia, aut vino propinetur, BLAIRE, etiam  
in nostris Alpibus colicæ adhibeatur. Vanissimum il-  
lum rumorem, GESNERUM hac planta erectum,  
masculæ refutavit HALLERUS. Sed quod suspectum  
tamen LINNÆUS dixerit, repetenda experimen-  
ta sunt.

DULCAMARA *Off. SOLANUM Botani-*  
*corum. Classis Pauci-stam. Germ. Steigen-*  
*der Nacht-Schatten. Gallis Douce amere. An-*  
*glis Bitter-Sweet.*

SOLANUM foliis aliis trifidis, aliis simplicibus,  
lignosum, scandens, reliquis solanis mitius, magis  
saponaceum mundificans, diureticum. Innocuum me-  
dicamentum pronunciavit HALLERUS, quod multum  
deprædicavit in phthisi, ubi nondum adesse humorum  
colliquatio, BOERHAAVE, etiam in contusione IDEM,  
& in lue venerea & ictero LINNÆUS, qui & stipitum  
dulcamaraæ dosim facit unciae unius, duarum. Adhac  
in arthritide BUCHWALD laudavit, & decoctum ex  
herba paratum in arthritide vaga multum præstare, con-  
stantem experientiam esse, HAMNERIN *de viribus me-*  
*dicis plantarum indigenarum* asseruit.

HYOSCIAMUS *Offic. Botanicorum. Classis*  
*Pauci-stam. Germ. Dollkraut. Anglis Hen-*  
*bayne. Gallis de la Hanebane.*

HYOSCIAMI foliis amplexicaulibus radicem, her-  
bam, & semina officinæ habent, & veterum, & re-  
centiorum experimentis stupefacentia. De radicibus  
comestis tragicam admodum narrat historiam WEPPE-  
RUS,

RUS, hydrophobiam lethalem vidit, BARRERE. A foliorum manipulo semis enemati incocto, iniecto, placidus vir furere, & delirare coepit. ETTMULLER. A solo vapore temulentii facti, BOERHAAVE & amicus, dum emplastrum pararent. A seminibus comedisis desipientiam MATTHIOLUS, vertiginem, deliria, somnum profundum STEDMANN. *Philosoph. Transact.* visus obfuscationem, memoriae eclipsin L. B. van SWIETEN proprio experimento: praesentem memoriā cum convolutionibus, *Essays and observations before a Society in Edinburgh* Vol. II. observarunt. Tum ab hyosciami nigri semine in quatuor pueris, satis, vertigo, obscuratio visus, delirium furiosum cum profundo somno, SLOANE *ibidem* T. III. A fumo seminum combustorum mentis alienatio cum furore, imo etiam ab effluviis seminum eadem mala *Ephem.* N. C. visa. Salus in vomitu. Tamen ex succo foliorum ad unciam integrum cani dato, nulla perturbatio. Cf. SPROEGEL experimento XII.

USUS internus non cognita salutari dosi suspensus, nec etiam externus tutus. Seminum vapor in dentem cariosum admissus, tum Actorum Haffnienium, tum aliorum testimonio noxius. Oleum pressum congeneribus efficacius, LUDOVICI, externo innocuum usu.

LOLIUM *Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Graminum. Germ. Lulch. Gallis Zizanie. Anglis Darnel. Italis Loglio.*

LOLIUM *spica aristata*, temulentum cognominatum est, ob dolores capitis, & temulentiam, quae causat. A lolio temulentia, & ulcera iam GALENO Crantz M.M. T. III. E. me-

memorantur. Somnum, temulentiam, vertiginem ab eo C A M E R A R I U S observavit. Lolium cerevisiam temulentam reddit, LINNÆUS: hæc vis in pane, qui in annonæ caritate inde efficitur, perit, I D E M ; non est venenata, I D E M .

LAUROCERASUS *Offic.* PADUS *Batanicorum.*  
Classis Naturalis Calyciflorarum.  
Gallis Laurier- cerise. Anglis Laurocerasus.

PADI foliis semperfurentibus, lanceolato- ovatis, aqua stillatitia per plurima experimenta lethalis, B R O W N E L A N G R I S C H integro tractatu *a Course of experiments with the Lauro-terasus in order to investigate its effects on animal bodies.* Similia etiam experimenta habet D U H A M E L . *Traité des arbres* T. I. Ex quibus omnibus conclusere ambo Clarissimi Viri, semper in nervos venenum agere. Bolus, acetum, auxilio non sunt: in lacte salus *Philosoph. Transact.* Nro. 418. in quo gratissima & salubria incocta folia, L. B. van SWIETEN, etiam contra phthisin laudata, LINNÆUS.

NUX VOMICA *Offic.* S TRYCHNOS *Batanicorum.* Classis Naturalis . . . Germ. Krähenaugen. Gallis Noix Vomique. Anglis Vomick Nuts.

STRYCHNOS foliis ovatis, caule inermi, fructus, certissimum animalibus, canibus, felibus, glyribus venenum, aliis ut & homini dicitur innoxium: tamen a granis quindecim interemptam puellam F R. H O F F M A N N U S habet; etiam temulentiam, & vomitum

tum ab electuario de ovo, quo recipitur, SORBAIT. Sed iam ante hos deleterium observavit fructum MATTHIOLUS. Contra hydrophobiam aliqui laudant cum amygdalis amaris, sed dosim, & utendi modum non addunt.

OENANTHE Offic. Botanicorum. Classis Naturalis Umbelliferarum. Anglis Heinlock-dropwort. Gallis Cigüe filipendule.

Etsi tota hæc familia suspecta sit, deleteria tamen maxime observata est cenante foliis omnibus multifidis, obtusis, subæqualibus, tum illa cicutæ facie, succo viroso crocante distinguenda. Solo gustu mors hominibus, BOERHAAVE, STALPART van der WIEL. Contrita calido die inter digitos folia, naribus supposita vertiginem inducunt, L. B. van SWIETEN. In acetariis assumentes vix evasere, LOBELIUS. Ex octo iuvenibus triginta annorum hanc edentibus, quinque cum motibus epilepticis mortui, alii misere affecti, vix servati sunt, Transact. Philosoph. Nro. 238. item numero 480. alia fata habentur: Eximius chalcographus EHRET, dum plantam in aere incideret, vertiginem passus, Ibidem, tum plures alios hac planta raptos, alios in sumnum discrimen deductos, BLAIRS Miscellaneous observations London 1718. in quo libro etiam aliarum plurimarum plantarum infamia dicitur: & recentissime ex triginta septem militibus, radice pastis, unum solum desiderari vidit ROCHARD. Journal de Medecine, Chirurgie &c. Tom. IX. & X.

POMA [AMORIS *Offic.* Botanicorum SOLANUM. Classis Pauci-stam. Germ. Lieb-äpfel. Gallis Pommes d'amour. Anglis Love apples.

SOLANUM caule inermi, herbaceo, foliis pinnatis, incisis, cum tota gente suspectum, Italis sale, pipere, oleo conditum esitatur; comeditur etiam coctum, BAUHINUS, liberalius vero ingurgitatum periculo non vacat, IDEM. Aphoniā, apoplexiā, induxit se in observatis est. Nonnulli ad epiphoraē, erysipelas, ignem sacrum, externe laudant,

SOLANUM *Offic.* Botanicorum. Classis Pauci-stam. Germ. Nachtschatten. Gallis Morelle, Anglis Night-Schade.

SOLANUM foliis angulosis, undulatis, tanyle lati, pro atriplice in cibum sumptuī, venenatum edidit effectum, Comm. lit. Nor. Etiam a baccis gallinas periisse, & convulsos pueros fuisse, monet BOERHAAVE. Ceterum tamen externo usu mite, inflammationi, paronychiaē, erysipelati, cancro, cataplasmatis forma admovetur; solano furioso interno usu præfendum, dosi prima grani unius in uncia una aqua ferventis, post duas tres dies repetenda, & solum ad granā quinque, sex, augenda, GATAKER l. c. tunc illico desistendum, ni vel perspirationem, vel urinam, aut alvum medicamentum moveat: tali methodo hæmiplegia curata fuit, & quod urinam movet, etiam hydrops.

AMORIS

VENE.

VENENUM LAMASCENSE, & TICUNASCENSE. Coctione extractum ex plantis, ab incolis Americanis ad inficienda tela adhibetur. Ingeniosissimus mortaliū, de la CONDAMINE, in itinere suo Americano primam huius mentionem fecit, dein experimenta satis periculosa instituit Cl. HERISSANT. Necat omnia quadrupedia, aves, carpiones, muscas; saluti saccharum, sal marinum, esse dicuntur: tamen saccharum fecellit in experimento Transact. Philosoph. Nro. 482. Sed esum animalium hoc veneno necatorum innocuum, de la CONDAMINE, L. B. van SWETEN testantur.

